


## Exercitationem Academicam De Aratrorvm Sanctitate

Helmstadii: Typis Ioannis Drimbornii, [1759]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893518220>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn893518220/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn893518220/phys_0001)

DFG




N. K. - 1 (43.)











Althaus verus de Nerva Constitut.

Alwijn controversiae jurid.

~~Alwijn de controversiis de offi.~~

Buch ad l. 24. §. i. D. de N. reb.

Chladenius ad l. 20. §. 3. de Condit.

Conradi de rebus mancipi.

--- de Falcidia in pūs leg.

Deinlin de Falc. ad leg. pūs c.

Engau de cura absentium.

Friccius de aratorum sanct.

Graff de miscilibus.

Hahn de præscr. quinque ped.

Hedemann de auxilio quod citati etc.

Heintz de exposit. infantum.

Herne de Nitorum vi.

--- de dominio pignoris.

Hildebrand de mandatis secretis.

Hiller de Legitimat. per rescript.

Hoepfner de Basilicor. libris

--- de Lege Latina

Hofacker ad Fragn. Affeni.

--- ad Legg. Tit. D. de neg. gest.

Hopf de rita decimationis

Kraus ad l. 8. pr. D. de Sorv.

Lembcke ad Sc. Maced. et Vellei.

Malblanc de improb. partis hered.

~~Malblanc de improb. partis hered.~~

Muller de prohib. Trebellian.

XLIII. ~~XXXX~~

35 Müller.

Müller de crimine termini moti

Mylius quæ suppos. in proöm. Inst.

Pasavant de rogationibus.

Pertsch de orig. jurisj. perhorresc.

Rau ad l. 31. §. i. D. de pos.

Rivinus ad Modestini casus encl.

Romanus de iudicio morum.

Schäumburg de sectione debitor.

Scherz de pacto medici.


Schragius de vicecima heredit.

Schröter de Præscr. C. annorum.

J.C. Schröter de jure novo Hadrianeo.

Sellen de Scis.







6  
181  
EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
DE  
ARATORVM SANCTITATE

CONSENSV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRAESIDIO

D. ALBERTI PHILIPPI  
FRICKII

FACULTAT. IVRID. ADIVNCTI

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

AD DIEM XVII NOVEMBR. 1818

OFFERT

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS PAELIKE

WISMARIENSIS.

---

HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.



INSTITUTIONEM ACADEMICAM

DE

ARATROPHIA ET EXACTITATE

CONSENSU

INSTITUTUM ACADEMICUM ORDINIS

FRASIDIO

D. ALBERTI PHILIPPI

FRICKII

TACULAT. INRI. ADIVCTI

FRIDRICH. FRIDRICH. EXAMIN.

AD DIEM XII NOVEMBER. 1800

OFFERT

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS PATRIE


WISSENSCHAFT

HELMSTADT

FRIDRICH. FRIDRICH. EXAMIN.







*A. P. Frick. Helmftad. 1761.*

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
ARATROVVM SANCTITATE.

§. I.

INTROITVS.

**R**ESONAT adhuc dirum belli carmen, Martisque  
furibundi insania vsquequaque, per mare, per ter-  
ras, tumultuatur. Legiones militum numero im-  
mensae, nihilque nisi spolia opima auide spirantes, hinc  
inde infestis concurrunt signis, tantamque terris vastatio-  
nem minitantur, vt, quamquam ipsorum excursionibus  
agri vbique vastati iaceant, vicisque incensis et pecuaria  
relicta, et agricultura deserta sit; multo maiori tamen exi-  
tio regiones delendae videantur. Itaque quis non videt,  
immo quis tam expers est omnis humanitatis, vt videns  
non deploret tam conditionem tot misellorum, qui neci  
traditi

A 2

\*) Mense Nov. MDCCLIX. CAROLO FRIDERICO PAE-  
in Academia Iulio - Carolina LICKF, Wismariensi.  
publice ventilata, Respondente



traditi sunt, quam et tot prouincias belli internecini calamitate fessas, quae premuntur iamiam rerum omnium inopia. Et quis non aequè admiratur, quam suscipit earum terrarum singularem admirabilemque felicitatem, quod, in quibus nulla hominum sanguis est profusa, agri tantam frugum copiam produxerint, quanta illa esse solet, quum summa est. Quare laetabantur felices agricolae, et personabant omnia gratiarum actionibus pro tantis, DEI benignitate, sibi concessis bonis. Immo si nimis vrbanus non fuisti, sed te potius in montes aruaque ex vrbe remouisti: et beatam illam, puta, rusticam gentem eo laetio-rem, dubio procul,prehendisti, non modo agros colere, et, quae montibus nitescebant, armenta pecorum pascere, sed et, quod ille apud VIRGILIUM, a) dicere:

*Depressò incipiat tum mihi taurus aratro*

*Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.*

Nec mirum proinde, mihi etiam specimen quaecunque academicum edituro imaginem tantorum bonorum felici- bus felicium harum terrarum subditis, DEI benignitate, concessorum obuersari, in mentemque venire, non materiem iura belli praesentis tangentem in chartas coniicere, sed disputare potius, ecquae iura rusticae gentis, quae iamiam

*Paterna rura bubus exercet suis,*

INSTRUMENTA, vel potius ARATRA SANCTI- TATE munierint? Futurum esse non tam spero, quam confido, vt, si quae ob virium debilitatem, irrepsérint, mendis

a) GEORG. I. 45.



mendis *lector eruditus* aequi bonique consulat. Etenim nullus doctorum, quantum equidem scio, hanc materiem ex instituto sub incudem reuocauit; etiamsi reliqua iura rusticis propria tot commentariis illustrauerint, vt lucem soli affundere velle censeatur, qui addere aliquid, quod operae pretium futurum sit, in animum induxerit.

## §. II.

DESCRIPTIO SANCTITATIS QVA VOCEM QVA REM.

ERGO ad illustrandam *Aratorum sanctitatem* nos dum accingimus: nec praeter morem egerimus, si prius nosse studeamus, vnde nomen *Sanctitatis* descendat, quum rerum causas vestigantibus ipsa vocum indagatio haud parum subinde luminis foeneretur. MARCIANVM b) si audias: *sanctum dictum est a sagminibus*. Sunt autem *sagmina* quaedam herbae, quas legati Populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicuti legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur *cercia*, seu vt legendum potius, *κέρκεια* c). Deducit vero MARCIANVS appellationem *sancti* a *sagminibus*, siue herba in pomœriis frondescente, more Ictorum, ac effectu spectato, quia, si prisci Romulidae bellum publice genti cuidam indicerent, aut ferirent foedus, id negotii suscipiebat corpus *Fecialium*,

A 3

lium,

b) L. VIII. D. de rerum diuif. Ad quam videatur GUIL. BYDDAEVS *Annot. in Pand.*, ac AEG. MENAGIVS *Amoen. iur. ciu. Cap. 39.*

c) Ita in glossis PHILOXENI: *caduceum κέρκεια*, quum vulgo scribatur *κέρκεια* Conf. praeter VOSSII *Lex. Etymol.* SVIDAS v. *κέρκεια*.



lium, d) quod ipsum sagmina efficiebant *SANCTVM*, i. e. *ab iniuria hominum defensum atque munitum*, prouti sanctum ipse describit. Mihi vero alia, faciliorque vocis *sancti* expositio in mentem venit, quam proposuisse nullo, ut videtur, piaculo indigebit. Ita enim censeo, dictam vocem ex earum classe non esse, ut in etymologia illius eruenda hariolando, ac velut palpando, ad id, quod quaeris, peruenire liceat. Etenim originem, meo quidem iudicio, ducit a verbo *sancire*, i. e. *rem quandam religione vel poena adiuncta firmare, ne violetur*. Nonne autem haec ipsa, quam de vocabulo *sancire* substruimus, notio falsitatis vitio laborat? Ita visum est *SERVIO* e), atque *ISIDORO* f), qui, ubi vocem *sancti* a verbo *sancire* quidem deducunt, veram et vel huius verbi ideam se inuenisse existimarunt. Quam egregie vero fallant, et fallantur, vide. Aiunt, *Sancire* proprie esse *sanctum* aliquid, i. e. *consecratum facere, fuso sanguine hostiae: et dictum sanctum, quasi sanguine consecratum*. Qui si didicerint, quod ipse eloquentiae parens, *CICERO*, dixerit g), *haec igitur prima lex in amicitia sancitur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati; immo quod idem aeternum Romanorum decus profatus sit h), Praetorem sanxisse edicto, ne ex Asia exportari liceret de frumento: facile intelliges, futurum esse, ut dicti* duum-

d) Horum officia, iuraque solide describebat *FR. CAR. CONRADI* *de panaginis* in *Diff. de Feclibus et iure Fecliali Populi Romani*.

e) in *not. ad Virg. Aen. 12*, 200.

f) *Lib. XV. Orig. Cap. IV.*

g) *de Amic. 40.*

h) in *Orat. pro Flacco Cap. 20.*



duumui non alium verbi *sancire* sensum agnouissent, atque illum, quem nosmet ex mente TULLII asseruimus. Fallor vero, aut exinde apparet, *sanctitatem* et *inuiolabilitatem* quasi coincidere, *resque sanctas*, licet exacta earum definitio et in Pandectis, et in Codice, desideretur, nobis esse eas res, quae inexhaustam ciuibus praebent vtilitatem, et, quum ipsae defendere se facile ab aliorum insultibus nequeant, religionis vinculo, et sanctione aliqua poenali aduersus violatores muniuntur. Si anceps haesitas, num is, quem dedimus, sit verus vocis *sancti* ac genuinus sensus? considera quaeso, quod nec ei aliam CICERO adscribat notionem i), dum ita de sua patria queritur, *nihil iam sanctum atque sincerum in ciuitate esse*. Quibus certe, ni fallor, verbis CICERO indicare animo gessit, ea propter conditionem suae ciuitatis fieri deteriorem, quod rebus istis, quas summa alias sanctimonia custodire sancitum erat, magna non amplius adhibeatur sanctitas, sed quod illae potius mirum in modum violentur. Neque alium esse dictae vocis sensum, agnoscit MACROBIUS k) ita dicens, *unde et sanctae leges, quae non debeant poenae sanctione corrumpi*: i. e. quae corrumpi non debeant, sancita in corruptores poena. Et quid plura ad ἀνάλογον huius vocis declarandam corradamus loca ex eorum scriptis desumta, quorum aetas in aureum, vt appellitare consueuerunt, tempus cecidit? Nam et ipse diuus IUSTINIANVS eandem, quam nosmet tuemur, sententiam defendit. Non

moror

i) in Orat. pro P. Quinctio  
Cap. 1.

k) L. III. C. 3.



moror ipsa illius verba. Ita infit; l) *Sanctae quoque res, veluti muri et portae, quodammodo diuini iuris sunt. Ideo et legum eas partes, quibus poenas constituimus aduersus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus. Quin et VLP IANVS verborum, quibus argute res exprimerentur, studiosissimus m) nec notionem diuersam a nostra cum voce Sanctitatis coniunxit. Nam ex illius mente n) proprie dicimus sancta, quae neque sacra, neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut leges sanctae sunt: sanctione enim quadam sunt subnixae: quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum: et interdum in sanctionibus adiicitur, ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. Ne vero putes velim, ac si tantum ex iuris Romani formula rebus quibusdam sanctitas esset attributa. Nam et bella priuata, faidasque illas, quibus vniuersa fere olim deuastabatur Germania, certis et rebus, et locis, Sanctitatem conciliasse, liquet ex monumentis, quae res populorum gestas pandunt. Singulas harum rerum species enumerare lubens supersedeo: o) de*

1) *Instit. §. X. de rer. diuis.* Meliorem a Iustiniانو rationem de murorum sanctitate datam esse, quiuis intelligit, atque illam, quam AVCTOR *Speculi Sueuici* Cap. 178. adducit, et quae ita sonat: *Die Mauren heis-sent heilig, die Heiligen beschlies-sent, sive Muren um einen Stuck gent, da Heilige inne sind.*

m) Vid. CORN. VAN BYNCKERSHOECK *Obseru. Iur. Rom. L. VIII. C. 15.*

n) *L. IX. §. 3. D. de rer. diuis.*

o) Scire quasdam cupidus adeat MEV I I *Comm. ad Ius Lubec. P. IV. Tit. IV. Art. II.*



## DE ARATORVM SANCTITATE.

de ea *sanctitate*, qua *aratra* munita esse nouimus, quaedam in medium prolaturus.

### §. III.

ARATORVM SANCTITAS E IVRE NATVRAE QVODAM MODO ERVI POTEST.

HAVD raro, quae scindunt terram, glebasque frangunt, *instrumenta rustica* in agris manere, scimus, nec ea tuguriis noctu tradi ab agricolis, quos fessis equis domum properantes, etiamsi sudore ac puluere sordidi sint, perbenigne excipit mulier pudica, quae iamiam

*Sacrum vetustis exstruit lignis focum*

*Lassi sub aduentum viri.*

Eum vero, qui eiusce generis *instrumenta* relictā in agro ultimam adhuc desiderante culturam inuadit, capitue, suscipere actionem sempiternae illi legi diuinae contrariam, prudentissimus quisque agnoscit. Tantum namque abest, ut is non violet *Sanctitatem Aratorum*, ut *horum* potius furtum ab eo committi nos doceat ius illud, quod non didicimus, accepimus, legimus, sed e natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus. Iam vero is me sibi non habet dissentientem; si quis dixerit, eandem iurisprudentiam ingeniis hominum non excogitatam, sed eorum mentibus inditam vnumquemque docere, ob istiuscemodi facinus contemnendum ab hisce proteruis hominibus ultionem sumi, seu, quod eo redit, eos eum in statum a laevis redigi posse, ut nec facultate gaudeant, nec irretiantur in posterum violandi *aratrorum sanctitatem*. Etenim arua,

B

quibus



quibus nihil nisi ultima adhuc deest cultura, produnt certe, semet non esse derelicta, sed detineri adhuc in cuiusdam dominio. Illud vero ipsum, ecquis neget? dicendum etiam esse de *aratris* istis sub dio manentibus, quae ostendunt insuper, dominum, quum *vomeres* in agris reliquisset, vltiori eorum ope vsurum esse, quo larga ipsius votis responderet seges. Is igitur, qui dolose interuertit *instrumenta rustica*, seque adeo crimine violatae *sanctitatis aratrorum* polluit: horum possessionem inuito domino eripit. Atque quum non amplius publici saporis sit dogma illud Stoicorum, p) *ἴσα τὰ ἀμαρτήματα εἶναι*; *omnia delicta esse paria*, sed ea in re committatur delictum eo grauiori poena expiandum, quae, vt *aratra*, multo maiorem, atque aliae res, ciuibz praebent vtilitatem: is certe, ni fallor, qui *aratra* surripere non erubescit, secundum iurisprudentiae naturalis principia, infamia est notandus, denegandaque hinc ei omnis occasio, victum amictumque sibi honestis artibus comparandi.

## §. IIII.

EX DISPOSITIONE IVRIS ROMANI ARATRA PRAETER ALIA PRIVILEGIA GAUDENT SANCTITATE.

HIS CE praemissis iam agite videamus, an ex iuris romani reliquiis, quas nostra versamus manu, possit etiam diiudicari, et vel iam leges romanas *aratris sanctitatem* conciliasse? NUMAM POMPILIUM, quum populum

p) Vid. CICERO *Paradox.* 110. Contra eos iam disputabat III. DIOGENES LAERTIUS VII. HORATIUS *Serm.* 1. 3. v. 15.



romanum, continuis bellis efferatum, legibus, quarum auctorem ferebat *Egeriam*, nympham, et inprimis religionibus ad humanitatem, ac mansuetos mores, traducere animo gestiret, *industrios agricolas laudibus et summa comitate concitasse, contra segnes obiurgatione, atque etiam multa castigatos ad rura gnauius colenda instigasse*, contendunt et DIONYSIVS q), et PLVTARCHVS. r) Magnus idcirco agriculturae apud Quirites ab eo inde tempore habitus est honos: s) non raro hinc manus summi viri, quae modo arantium bouum iugum rexerant, triumphalis currus habenas moderatae sunt, et rursus dein, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetierunt: t) insignia et inde priuilegia vides concessa u) vitae rusticae, quae est, ex sententia TVLLII x) *parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra*. Si qua vmquam; haec certe priuilegia *instrumentis rusticis* indulta, digna erant Romano nomine, digna imperio, cuius maiestas Consulium Optimatumque consiliis ad ortum solis ab Hesperio cubili debebat porrigi. At, quibus ad rei publicae romanae gubernacula sedere deinde contigit, Imperatores aequae perindulgentes in priuilegiis rusticorum *instrumenta adornandis* fuisse, constat. Fallor autem, aut inter haec

B 2

aratri

q) *Libr. II. p. 135.*r) *in Numa p. 71.*s) vid. ALEX. *denial. dier.*  
L. III. C. II.t) *Exempla congeffit* GOTT-  
FR. CHRIST. LEISER *in iure**Georg. Cap. I. n. 28. sequ.*u) vid. L. 4. *Cod. Theod. de*  
*extraord. siue sordibus muneribus.*x) vid. *eius Orat. pro S. Ro-*  
*scio Amerino Cap. XXVII.*



*aratri* indulta iura singularia praeprimis et id est referendum, quod *pignoris causa de possessionibus abstrahi non deberent*. Hanc ipsam vero constitutionem prohibitivam extorsisse videtur inhumanitas creditorum, qui, quum indigentiores aeris alieni vinculis alligatos tenerent, instabant, ubi dies venerit, vrgebant cum vociferatione, minitabantur, nihil omittebant: nec tantum foenore miseros trucidabant, sed etiam, ne quid hominibus infelicissimis superesset, statim, priusquam incipiebat deberi, egentes spoliabant: pignora extorquebant, immo, si crudelitati color obtendi posset, ne quidem haec reddebant debitori, quamvis liberata, et soluta: certe non nisi negligenter custodita, postquam etiam de teruncio satisfactum erat, aegre restituebant; saepius etiam non quiescebant, donec, quod PHAEDRVS y) ait, totam praedam sola improbitas abstulerat. Saluti publicae hinc interfuisse, equis non videt? rapacitatem hancce creditorum coercere, et cauere sapientissimis legibus, vt ne, dum creditores pigneratitii praeter alias res et *aratra*, tanquam pignora abriperent, agricultura quiesceret, et laboraret ciuitas rerum inopia. Sapienter igitur CONSTANTINVS z) Imp. edixerat:

*Execu-*

y) FAB. *Lib. I. fab. 1.*

z) L. 7. C. *quae res pignori obligari possunt*. Caeterum in eo quidem Ictos inter se consentire deprehendes, quod in instrumenta rustica non illico decerni debeat executio. At si moueas quaestionem, an, de-

ficientibus aliis bonis, in executione pignora capi queant? tunc eam affirmant COLER. in *process. Cap. III. n. 189.* CARPZOV. in *process. tit. 25. n. 14.* MEVIUS de *arrestis Cap. 19. n. 53.* Quum vero ista opinio omni destituatur legis a nobis citat



*Executores a quocunque iudice dati ad exigenda debita ea, quae ciuilitur poscuntur, seruos aratores, aut boues aratorios, (aut instrumentum aratorium) pignoris, causa de possessionibus non abstrahant, ex quo tributorum illatio retardatur. Si quis intercessor, aut creditor, vel praefectus pagi, vel decurio in hac re fuerit detectus: aestimando a iudice supplicio subiungatur.* Vix etiam effluxerat totius saeculi spatium, quum, pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non conuenire, pronunciarent HONORIVS et THEODOSIVS. a) Iura haecce agricolis tributa eo maiori pretio aestimanda esse, quibus, et vel me non mone, intelliget; maxime quum iis fuerit cautum, ut agricolae egeni aratorum ope semper familiam alere possent, nec unquam defereretur agricultura. Sed propius ad rem nostram facit constitutio FRIDERICI, quae, quum tanquam lex cardinalis ab omnibus, qui velut per transennam inuiolabilitatem aratorum (nam ex instituto nemo adhuc, quod scio, hoc argumentum excussit) attigerunt, in medium afferri soleat, integra nobis est inspicienda. Ita vero edixerat FRIDERICVS; b) *Agricultores circa rem rusticam occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint,*

B 3

citatae fundamento: Non diffiteor, contrariam mihi sententiam a LYNCKERO in *Anal. ad Struuii Synt. Iur. Civ. L. 42. th. 18.* et BERLICHIO I. *Concl. 20.* defensam placere. Aliud vero dicendum, si alia disponant ordinationes prouinciales, quod

a plurimis factum esse bene annotauit B. KRESSIVS in pererudita diss. de *privilegiis agriculturae apud German. Sect. II. §. XIX. n. \*\*\**

a) L. 8. Cod. quae res pign.

b) In *Authent. Cod. quae res pignori obligari possunt.*



*sint, in quacunque parte terrarum: ita ut nullus inueniatur tam audax, ut personas, boues, et AGRORVM INSTRV-  
MENTA, aut si quid aliud sit, quod ad AGRORVM  
OPERAM RVSTICAM PERTINEAT, INVADERE,  
AVT CAPERE, AVT VIOLENTER AVFERRE  
PRAESVMAT. Haftenus lex prohibitiua. Sequitur  
poena in eos constituta, qui secus fecerint. Si quis au-  
tem huiusmodi statutum ausu temerario violare praesumpse-  
rit, in quadruplum, ablata restituat: et infamiae notam ipso  
iure incurrat: imperiali animaduersione nihilominus punien-  
dus. Iam igitur qui sine discrimine propugnant pro ob-  
seruantia legum romanarum in complexu, ut aiunt, pu-  
blica auctoritate receptarum, quod patriorum institutorum  
immemores cum STRYCKIO c) faciunt tantum non  
omnes iuris romani admiratores, illi non possunt non fa-  
teri, etiam iure romano roborari sententiam, de qua no-  
bis est sermo. Etenim hac ipsa lege *aratra* aduersus quos-  
cunque insultus muniuisse, iisdemque adeo *sanctitatem* tri-  
buisse FRIDERICVM, ex eo liquet, quod non poena  
quadrupli ad restitutionem modo adigerentur, sed et infam-  
ia insuper, ac poena extraordinaria plecterentur, qui in-  
teruertissent instrumenta ad culturam agrorum necessaria. d)*

§. V.

c) In diff. praelim. Vtui  
Pandect. moderno praemissa  
de usu et auctoritate iuris roman.  
in foris Germ. Conf. LYN-  
CKER. in Anal. ad Struu. Synt.  
iur. ciu. Exerc. II. th. 35. et I. H.

HEIDELMANNI *diatribe histo-  
rico-iuridica de recept. iur. rom.*  
Sect. II. §. 1. squ.

d) Errant hinc, qui cum ill.  
HEIMBURGIO in pr. de furto  
*aratorum* contendunt, dictam  
Authen-



## §. V.

ARATRA SANCTITATE MVNIVERVNT LEGES SALIORVM,  
BVRGVNDIONVM, LONGOBARDORVM, SAXONVM.

TVISTONIS vero progeniem, quae vt fortitudinis laude; ita et concinnitate legum aliis gentibus excellebat, *aratra etiam sanctitate muniuisse*, non ignorant ii, quos vetusta litterarum monumenta peruestigare non piget. Talem vero sanctionem, qua aduersus omnem iniuriam munirentur *vomeres*, maiorum nostrorum genio aduersari, forsitan obuertent, qui se legisse meminerint, quod TACITVS Germanorum rem publicam tanquam quietis impatientissimam, et vnice fere ad belli rationes conformatam describat, dicatque, *Germanos non arare, aut expectare annum*, e) *sed fortissimum quemque ac bellicosissimum nihil agentem, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familia, ipsos habere*. f) Qui vero scrupulus, ne torqueat progredientes, iam exprimendus esse videtur. Videlicet nulli negamus, istas delicias atque inuitamenta, quorum copia aliis gentibus pacis tempora grata reddit, vrbium commoditates, ornamenta domuum, praediorum amoenitates, diuitias commerciorum simplicitati maiorum fuisse incognitas. Neque id diffitemur, eosdem nequaquam, quod apud Romanos obseruare mos erat, g) cum cura ac in otio expectasse,

Authenticam non nisi eos tangere, qui iure pignoris aratra caperent.

e) *de mor. germ. Cap. XIV.*

f) *ib. Cap. XV.*

g) vide sis GEORG. GRENIJ  
*Comm. de Rustic. et Villis Vet.*



spectasse, quid hoc mense, quid illo ferendum plantandum-ue sit? qui flores, quae legumina, quae frumenta, qui fructus arborum aut vinearum proueniant? At salua interim res est, dummodo nulli credamus, Germanos, quum maior pars victus eorum lacte et caseo et carne consistere; h) magna frumentorum copia non indignisse, hincque, frugibus ab alio populo acceptis, agriculturam usque adeo neglexisse, ut liberi homines ad eam exercendam numquam vocarentur. Aliud enim *αὐτόπτης* testis CAESAR i) adfirmat, tantamque Germanos, et inter illos etiam, qui ingenui vocabantur, agris et frugibus colendis dedisse operam, liquet: quantum illis opus erat et ad panem et ad cereuisiam. k) Quae vero quum ita sint, quumque te fugere nequeat, quod, ingeniosissimum Gallum de MONTESQUIOU docuisse, l) nos meminimus, genium nempe populi cuiusdam ex coeli terraeque indole interdum fingi, leges autem genio assentari, immo naturam instillare mores, mores autem suadere leges: mirum certe non videbitur, si audias, non heri demum, sed antiquissimis inde temporibus nomothesium theodiscam *aratrorum sanctitati* prospexisse. Certe id, ni fallor, apparet et vel ex eo, quod a SALIIS, gente Francorum nobilissima, maior multa irrogata esset ei, qui vi *aratrum* de alterius agris propellere auderet. Ita enim in ipsorum lege omnium,

quas

h) vid. CAESAR. *de bello Gallico* L. VI. C. XXII.

i) *de bello Gall. Lib. IV. Cap. IX.*

k) vid. TACITVS *l. c. Cap. XVI. et XXIII.*

l) In egregio libro *de l'esprit des loix inscripto Lib. XIV.*



quas Germania vidit, antiquissima m) dispositum legimus: *Si quis vero de campo alieno ARATRVM ANTEORTA- VERIT, aut IACTAVERIT, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur.* Immo et theseos nostrae veritas eo maioribus radiis elucet, si ponderamus, quod, quibus suboluit cultura agrorum ob *vomeres* furto ablatis interrupta, *Burgundiones* n) poenam multo grauiorem ab eo fumendam esse statuebant, penes quem *aratum* furto surreptum inueniretur. Quo in delicto puniendo magno eos vfos fuisse rigore deprehendes. Nam et seruos *aratra* subtrahentes poenae iusto grauiori subiiciebant. Quid? quod eo progrediebantur, vt nec poenam effugere apud eos posset, si *aratum* furripuisset et vel talis persona, quae ad tertiam generationem maiores ex utroque latere liberos poterat probare, et quae adeo ex sententia viri ad iuuandas litteras nati, Dom. de SELCHOW, o) ingenuus vocabatur. Ita enim iubet LEX BVRGVNDIONVM p): *Si quis*

m) Tit. XVII. §. XX. Haec ipsa verba apud PITHOEVVM Tit. XXIX. §. 19. sic redduntur: *Siquis aratum in campum alienum intrare prohibuerit, vel arantem foras iactauerit etc.* Hinc vocabulum *anteortare* nihil aliud indicare, quam vi propellere, bene obseruat CAR. DU FRESNE in Glossario ad Scriptores med. et inf. latin. v. *obstare* Tom. IV. fol. 1301. ed. Paris. de Anno MDCCXXXIII.

n) De Burgundionibus et regno eorum in Gallia fundato docta obseruatione egit ill. MASCOVIVS in *den Geschichten der Teutschen* in calce Tom. II. p. 1. seq.

o) vid. illius eruditam comm. de *statu ingenuorum in Germ.* Cap. I. §. III.

p) Tit. XXVII. §. X. XI. in *Corpore iur. Germ. antiqu.* adornato a Petro Georgisch p. 360.

C



quis INGENVVS VOMEREM furto abstulerit, duos boues cum iunctura et apparatu aratri tradere domino compellatur. Si SERVVS HOC fecerit, CC. fustium ictus accipiat. Nec segniores, videmus, in Sanctitate aratri tribuenda fuisse LONGOBARDOS, q) gentem alias latrociniiis, cuiusmodi tum temporis honesta habebantur, assuetam. Et enim instrumenta ad culturam agri necessaria seueriori poena, aduersus quoscunque insultus, ita secura reddebant, vt facinora, quibus quis alterius aratrum corruipisset destruxissetque, coercerent compositione IV. solidorum, furtum aratrorum vero summa octupli expiari iuberent. Sed quid verba legum a LONGOBARDORVM Rege, ROTHARII), latrum transcribere impedit? Si quis plouum aut ARATRVM alienum iniquo animo capellauerit, componat solidos IV. Si autem furatus fuerit, componat in octogilt. Neque est, qui credas, SAXONES reliquis gentibus germanicis atrociores impune tulisse facinora in aratri commissa ab hominibus improbis. Ego certe, aliam si tibi defendere placet sententiam, contraria via, quousque spes fulgeat vel leuissima, posse adhuc Aratrorum Sanctitatem ex ipsorum lege per analogiam deduci, incedam. Ita enim lex Saxonum a WIPPONES) crude-

q) vid. CONRINGIVS de rerum german. scriptor. T. II. Orig. iur. Germ. Cap. XI. f. 460. Rationem vero huius

r) Ap. GEORGISCH l. c. p. 101. appellationis erudite detexisse videtur HEINECCIUS in Elem.

s) In vita CONRADI SALICI in perill. IOAN. PISTORII iur. germ. L. II. Tit. XVIII. §. XV. in not.



crudelissima dicta quum praecipiat, t) vt, qui in re qualicunque, vel interdum vel noctu trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur; atque, quantum equidem scio, pretium aratri trium solidorum summam quum excedat: nullus affirmare dubito, et hanc legem aratri sanctitatem conciliaffe, illiusque hinc vigore capitis poena esse puniendum, si quis furto abstulerit aratrum.

## §. VI.

SANCTITAS ARATORVM EX VTROQUE SPECULO  
PATESCIT.

Sed cur iusto diutius immoremur *sanctitati aratorum*, de qua agimus, per legum analogiam deducendae? Mittamus hanc probandi rationem, et subiiciamus bina alia testimonia, quae sibi aliquem hac ipsa in tractatione locum exposcunt. Sic enim si vlla vnquam e lege; certe e SPECULO SAXONICO u) declarari potest *aratrorum Sanctitas*. Ita enim disponit; x) *Alle Mörder, und die DEN*

C 2

PFLUG,

t) Tit. IV. §. VII. ap. Georgisch l. c. p. 458.

u) Qua aetate ad eius compilationem sese accinxerit EPKOVVS DE REPKOW; exquisita ratione euicisse videntur et PERILL. DE SENCKENBERG in den Gedanken von dem jederzeit lebhaften Gebrauch des uralten Deutschen Bürgerlichen und Staatsrechts in denen nachherigen Reichsgesetzen und Gewohnheiten Cap. I. §. 14. 15. 16. 17.

et ill. AYRER in *diff. de aetate Spec. Saxon. Speculo Sueuico anterioris*, Goett. 1742. Elegantem vero amplissimumque omnium Speculi Saxonici editionum recensum exhibet ill. PVTTERVS in dem Entwurf einer iuristischen Encyclopädie in append. III. §. 12. p. 132. sqq.

x) Art. XIII. p. 197. edit. quam debemus PERILL. DE GAERTNER.



PFLUG, oder Mühlen, oder Kirchen und Kirchhöfe berauben, und Verräther und Mordbrenner, und die ihre Bothschaft zu ihren Nuzzen werben, die soll man alle radbrechen. Haec ipsa verba immane quantum roborant sententiam, quam de *aratri* tuemur. Intercedere autem iam video viros, quos ex hac rerum humanarum caligine ad meliora dudum emigrasse constat, puta ZOBELIVM, y) HEIGIVM, z) COLERVUM, a) DOEPLERVUM, b) HEINECCIVM, c) eosque docere deprehendo, crurifragio eos demum vigore Speculi Saxonici, plectendos esse, si quando equos et boues aratrorios quis abegerit. Quam interpretationem a veritate alienam esse quum dixerō: id non ea propter abs me dictum esse credas, vt eos nempe imitari cupiam, qui magnam laudem in obtrectatione positam putant, neque quicquam cupidius faciunt, quam vt, quicquid possunt, ex aliena gloria detrahant, credantque se demum emerfuros, si eos, qui extant, deprefferint. Etenim me quendam amoris, dicam? an veritatis aestum a virorum sententia, de qua dicere coeperam, abduxisse fatebuntur, qui curate legerint adducta Speculi Saxonici verba. Consideranti enim, prouti sonat, eiusdem dispositionem manifestum fiet, crura minimum de *aratro* auferentis rota confringenda esse. *Sanctitatem* hinc tributam *vomeribus* omnes perspicient. Audio vero mihi obstrepere, et, qui secus sentiunt, alta voce clamare. Quid tu teme-

y) in *annot. latinis ad Spec. Saxon.*

z) P. II. *Quaest.* 3. n. 2.

a) P. I. Dec. 148. n. 2.

b) in *Theatro Poenarum.*

c) l. c. L. II. T. XIX. §. LI.



temerarie! anne et vel ipsum Saxoniae Electorem, A V G V-  
S T V M, eadem, ac nosmet, ratione dicta legis verba ex-  
plicuisse d) nescis? At in eo non fallor, nec refragari for-  
sitā poterunt ipsi aduersarii, si dixerō, parum id eos, aut  
nihil iuuare. Recte enim iam olim B. KRESSIVS e) acri-  
ter vrgebat, compilatores constitutionum Saxonicarum,  
quum iuris romani peritissimi mores patrios, si molimini-  
bus ipsorum respondisset euentus, plane in exilium egis-  
sent, iura auita non satis inspexisse, et secundum regulam,  
quod inter poenam et rem furtiuam debeat esse proportio,  
dictam Speculi Saxonici constitutionem, inuita licet mi-  
nerua, esse interpretatos. O vero, iam satis de disposi-  
tione Speculi Saxonici diximus. Vellit me, nisi animus  
somnia, auctor alterius illius, quod collectionem iuris Sue-  
uici, seu Alemannici continere absone credunt, f) S P E-  
C V L I, puta, S V E V I C I, et desinere iubet his verbis: g)  
*die den PELUG beraubend so er des Morgens von dem Haufs  
fährt auf den Akker, und so er wieder beim fährt, und den  
Bauren, und ibrem Gesind icht thut, oder nimbt das drey  
Pfennig werth ist, man soll ihn Radbrechen.* Temperare  
mihi nequeo, quo minus adducam, et alias leges provin-  
ciales teutonicas iis, quae adposui, curate respondere.

C 3

Ita

d) Const. P. IV. Const. 35.

uici s. alemannici, quod in illo  
haberi creditur.

e) in cit. diff. Sect. II. §. XIX.

n.\*\*

f) vid. B. IO. GOTTL.  
GONNE diatr. de commento Spe-  
culi Sueuici, nec non iuris Sue-g) Cap. 114. §. 4. p. 199. edit.  
quam edendam curauit IOH.  
AVG. a BERGER.



Ita enim, vt alia praeteream, LEHMANNVS, h) in iuris Franconici Cap. CXV. §. 2. dispositum esse, testatur: *Alle Mörder oder die PFLUG beraubent, die soll man alle radtbrechen.* Ibidem etiam §. 4. dicitur, *die den PFLUG beraubent, so er des Morgends von dem Hauss fährt auff den Acker, und so er wieder heim fährt, und den Gebauren und ihr Gefindt icht thut, oder nimmet das dreyer Pfennig werth ist, man soll in radtbrechen.* Vix esse leges, quae, maiores nostros aratra Sanctitate muniuisse, magis indicent, per me dicas, contendasque.

## §. VII.

ARATRIS PAX ET TREVGA DEI CONCESSA, HINC  
SANCTA EVERVNT.

ITA veteres. Nec alia de *Aratrorum Sanctitate* mens erat iis, quorum aetas ea in tempora cecidit, quibus nullus vnquam alterius iniquitatem mussitaret, et suam potius suorumque iniuriam non in iudicio, sed ense manuque quisque prosequeretur. Peruersam hanc fuisse lites dirimendi rationem, ecquis neget? ac vere de istis germaniae incolis affirmari posse, quod iam SENECA i) dixit: *Quid Germanis animosius, quid armorum cupidius, quibus innascuntur, innutriunturque, quorum una illis cura est, alia negligentibus?* Igitur quum continuis fluctibus agigaretur communis patria, atque tantum non caedibus, depraedationibus, incendiis penitus deuastaretur: e re omnino erat, et

h) in Chron. Spirensi L. IV. de A. 1612.  
C. XVII. f. 331. edit. Francof. i) de ira L. I. Cap. II.



vel tandem, pene sero, modum ponere iuri manuario, quod dici vix potest, quam vehementes, vbique cierit turbas. Certe, si replicemus annales, non penitus quidem extinctus tum erat bellorum priuatorum vsus, sed reprimebatur per inducias, k) quas reddidisse, constat, res quasdam nunc sacras, nunc vero dies aliquot caedibus odiosas. Hae ipsae autem induciae, seu haec belli priuati cessatio, veniebat sub nomine PACIS et TREVGAE l) DEI. Iam vero si quaerimus, annon pax et treuga Dei inter se discrepauerint? respondet magnus ille Ecclesiae Gallicanae Praesul, PETRVS DE MARCA, m) PACEM istam indultam esse omni tempore, ratione clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, AGRICOLARVM CVM BOBVS ARATORIIS, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad clericos, monachosque pertinentium et molendinorum: TREVGAM vero, i. e. inducias aliquot dierum concessam esse ratione caeterorum. Vtut erit, certe ab eo inde tempore pace Dei contineri, hinc et Sanctitate quadam muniri coeperunt aratra, quorum

k) primordia harum induciarum ad ann. 1032. vel 1034. referunt, qui plus in hac historiae parte, quam alii, viderunt, scilicet FABROTTVS de Treuga et pace, BARONIUS in ann. ad Ann. 1034. DATTIVS de pace imperii publica Cap. II. n. 8. squ. p. m. II.

l) bene obseruat A COSTA ad Cap. I. X. de treuga et pace,

hanc vocem esse originis germanicae a fide, treu, dictam, hinc etiam veriragen, componere vel transfigere, vel austragen, decidere deducendum, quia fide interposita lites componantur vel decidantur.

m) In egregio libro de Concord. Sacerdot. et Imper. Lib. IV. Cap. XIV. §. III. p. 404.



rum rapinis et furtis alias indulgebant, viri a paruulis durtiae et crudelitati studentes. Aut namque me omnia fallunt, aut id ipsum mirifica consensione scripta veterum produnt. Si specimen habere gestias, exemplo sit testimonium desumptum e Speculo Saxonico, quod ipsum irruentis in Saxoniam iuris romani canonicique auctoritati opposuit EPKO de REPKOW, nobilis vir, e Saxonia oriundus, n) Anhaltinae vero domus vasallus. o) En ita habet: p) *Nu vernemet den alten Friede, den die Kayserliche Gewalt bestettiget hat, den Lande zu Sachsen, mit der guten Leüt willigung und Wilkör des Landes. Alle Tage und allezeit sollen Friede haben paffen, und geistliche Leüt, megde, Weib und Iuden, an iren leibe und an iren gut, Kirchen und Kirchhöfe, und iglich Dorf, inwendig sein graben und zeunen, PFLÜGE und Mühlen, und des REICHES Strassen, in Wasser und in Felden, die sollen STETEN FRIEDEN haben, und alles das darin komt.* De pace Dei aratris, hinc et sanctitate concessa Speculum Saxonicum loqui, probatione non indiget, nec erit, opinor, qui de eo dubitabit. Id ipsum, ubi perattente pensamus, deprehendimus in Speculo Sueuico, de cuius auctore maxime diffentiunt Scriptores. q) Adscribam eius verba, quae argumen-

n) vid. EVCH. GOTTL. RINCKII diff. de *Spec. Saxon. fonte iuris Saxon. communis* §. 2.

o) vid. IOH. CHR. BECKMANN *Anhaltische Historie* P. I. C. III. p. 356.

p) *Lib. II. Art. LXVI.*

q) Vulgo BARTHOLDVM A GRIMMENSTEIN licet vago rumore, auctorem esse contendunt, quod recte tamen negasse videtur ill. BVRI in *Erläuterungen des in Teutschland üblichen Lehnrechts* p. 183.



argumentum, in quo versamur, mire illustrabunt. Ita sonant: r) - - alle und allezeit sollen haben Fried pffaffen, und alle geistliche Leüth, Maget und Wittwen, und alle Waysen, Kaufleüth und Iuden, an ihrem leib und an ihrem gut, Kirchen und Kirchhöfen, und ieglich bedarf in seinem Zaum PELUG und Mühlen und des Königs Straßs an Wasser und an Felde, disß soll alles STETEN FRIEDEN haben. Itaque si iis turbulentis temporibus, quibus Marti non litasse, nec vocasse hostes, nec vulnera meritos esse, pigrum, quin imo iners videbatur, *aratri pax Dei* concedebatur, atque sic hac ratione crassioribus hominum vitijs adhibebatur medela, sique hinc etiam *vomeres* ponderosi furtis aequae ac rapinis exemti gaudebant *sanctitate*: certe periculum non aderat, vt, praeter reliquarum rerum dispendia, ciuibus etiam *instrumentorum* ad agri culturam necessariorum iactura immineret. Ego sane, quidni enim profiteri palam lubeat, quod certum, exploratumque animo sedet? contendere nullus dubito, ex dicta vtriusque speculi formula eum quid *paci Dei* aduersum non minus commississe, quam et *aratorum sanctitatem* conculcasse, qui *vomeres* intactos non reliquisset. Dignam profecto nomine teutonico legem, quae ostendit insuper, Germaniam semper tulisse viros rerum ciuiliū peritissimos,

*Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,  
Plinius ac melius Chrysippo et Crantore*

et perspexerunt ipsi, et ciuibus suis dixerunt. Parum vero

r) Cap. 192. p. 290. edit. cit.



*aratra* sanctione poenali *sacra* reddita proderunt, si, quorum ope in cultura agrorum indigent agricolae operibus agrestis intenti, *aratoriis* equis et *bobus* sub iugum missis *vomeris* quiete ducere non liceret. Viderunt id et vel iam istis temporibus, de quibus est sermo, Ordines Ecclesiastici. Bene hinc atque sapienter et *horum* securitati eo prospexerunt, quod *Pax Dei* ea quoque comprehenderet. Latas constitutiones, quibus hanc thesin roborare possemus, nostra pagina non capit. Igitur e multis non nisi eam producere placet, quam in ipso iuris canonici corpore offendimus. Ita videlicet ALEXANDER III. P. R., postquam in concilio Lateranensi constituerat et tempora treugarum, et violantium poenas, etiam praecepit, s) *ut presbyteri, monachi conuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, et ANIMALIA, quibus ARANT, et SEMINA PORTANT ad agrum, congrua SECVRITATE laetarentur*, Iouem lapidem iurarim, rogatis eiusce generis legibus et vel Themidem Romanam *aratrorum inuiolabilitati* prospecturam fuisse, atque poenis atrocioribus effecturam,

*Ne vaga profiliat fraenis natura remotis,*  
 si tum Romani *aratra* surripere lubentes non abstinuissent.

### §. VIII.

ARATRA SANCTITATEM ACCIPIUNT DIVERSIS PACIS  
 PVBLICAE SANCTIONIBVS.

OMNIA autem, quae hactenus ex utroque speculo duximus, argumenta poterunt, sine vlla nostrae sententiae iactura,

s) Cap. II. X. de treuga et pace



iaitura, praetermitti. Nam extra oleas vagari, aut quamdiu vires domesticae supersunt, sociorum copias flagitare, timidi est et sibi diffidentis animi. Videlicet diuersa in Germania iura quum habeamus; in eruenda cuiusdam materiei veritate, quodlibet ius, mea quidem e sententia, potius ex legum imperii publicarum principiis, quam ex priuatarum legum a priuato collectarum formula explicandum est. Datae iam regulae adplicatio exigit, vt acrem in publicas imperii leges aciem intendamus, et inquiramus sollicitè, vbinam *sanctitatem aratris* indultam in iis reperiamus. Ecce primum se offert oculis PVBlicae PACIS SANCTIO a CAROLO IV. A. S. I. cLoCCCLII. publicata. t) Videlicet in eum vsque diem iure manuario vigente quum vndique personarent turbæ, u) nullaue adesset spes, vt, detumesciente animorum aestu, de placando Iani numine consilia agitentur, aut coalescerent in concordiam populi: CAROLVS Imp. id egit, vt non penitus quidem extirparet diffidationum vim, sed vt eam tamen solemnita-

D 2

tibus

t) De pace publica, quam CAROLVS IV. per varias provincias renouauit, conferri potest ALBERTI ARGENTINENSIS *Chronicon ad Ann. 1353.* in CHR. VRSTISII *Scriptor. Hist. Germ. T. II. f. 159. squ.*

u) Dignus, qui legatur, est libellus a B. Pistorio editus, sub tit. *historische Nachrichten von dem Ursprung, Art und Beschaffenheit derer in Teutsch-*

*land ehemahls im Schwang gegangenen Fehden und Diffidationen*, in adpend. der *Lebensbeschreibung Herrn Gözens von Berlichingen*. Quaedam etiam huc pertinentia diplomata protulit vir illustris, quem venerabilem doctrina, amabilem vero facit generosa prorsus humanitas, CHR. LVDOV. SCHEIDVS in *Bibl. Hist. Götting. P. I. p. 267. squ.*



tibus nunc circumscriberet, x) nunc vero etiam res quasdam redderet *sanctas*. Quarum in numerum retulit, ut opinor, etiam *aratra*. Ut dubium vero ea propter non relinquamus lectoris animum: dabo tenorem sanctionis de *aratorum sanctitate* in dicta pace publica comprehensae: y) *wir wollen auch vor allen Dingen, so der Landfriede usszoget, das Clöster, Kirchen, Mühlen und pflüge sonderlichen Frieden haben, und dass die nieman angreiffe, leidige noch schaedige vnd zwieder thaete*. Haec igitur dictorum verborum, ex sententia augustissimi CAROLI, vis est, ut *aratra* gauderent *pace*, nec laederentur, hinc et *sancta* essent. Atque hanc sane eorundem virtutem WENCESLAVS, quem CAROLVS IV. succedaneum habuit, agnouerat. Etenim quum ea aetate nimia diffidationum licentia tam altas egerit radices, ut illico exturbari non posset: eo communi patriae aduersis fluctibus diu iactatae opem se attulisse, credebatur WENCESLAVS, si non una vice Sanctionem pacis publicae aequae confirmaret, quam et hac medela *aratra* aduersus quoscunque malefactorum insultus secunda redderet. Ne autem quis me id sine lege dicere putet, aut miretur, quod, quum, tam male WENCESLAVM rei publicae germanicae saluti consuluisse, dicant scriptores, ut plurimum Electorum consensu depositus esset,

x) vid. praeter PISTORIUM l. c. §. 10. p. 22. *sequ.* DATTIVS in egregio opere *de Pace Imp. publ.* L. I. C. XV.

y) Inuenitur apud LEHMANNUM l. c. L. VII. C. XLVII. p. m. 798. et DATTIVM l. c. C. XVI. §. 49. p. 125.



esset, z) ego quasi ex puluere suscitam sententiam veritati aduersam, ad limpidissimum, vnde haec hausi, fontem, nempe ad PACIS PVBLICAE A. C. c10CCCLXXXIX. confectae tabulas lectores adducam meos, in quibus ita scriptum est: a) - - und besunder ALLE PFLÜGE mit Pferden und was darzu geböret, und die die Wingarten, Ackern, und das Velt buwen, SICHER SIN UND FRIEDEN HABEN, und das die niemand angreiffe, leidige noch schedige. Ex his verbis ita argumentor: Si hac imperii lege obuiam iretur, vt ne abominandi diffidationum abusus ad ARATRA extenderentur, sed vt ea potius pace, vt vocabatur, Dei gaudere deberent, et contra eum, qui secus fecisset, actione vindictam spirante agere oporteret: multo magis inde cognoscimus etiam ARATRORVM SANCTITATEM. Adeas etiam, si velis, PACIS PVBLICAE Ann. c10CCCXCVIII. publicatae constitutionem, qua grauitur Idem Imperator edicit: b) Auch so soll niemand den PFLUG mit seinen Pferden, oder ander Vieh wenig oder viel, und zweyn Menschen die zu dem PFLUG geböret, und gleicher Weise DIE EGGE, und anders sie sin Manne oder Weib, die das Velt oder Wingarten buwent, von dem Hufs bis uff das Veldt und Wingarten, und von

D 3 dannern

z) De hac exauetoratione non ipsa depositionis sententia tantum, sed et reliqua omnia, quae B. OBRECHTIVS in *Adparatu iur. publ. et Hist. Germ.* a pag. 1-70. produxit, legi merentur.

a) §. 12. Extat apud DAT-  
TIVM l. c. Cap. IX. f. 68.

b) Euoluas praeter DAT-  
TIVM l. c. Cap. XVI. §. 49. LEH-  
MANNVM l. c. L. VII. C. LXIII.  
f. 829.



dannen hem in ir Hüſer voken, ANGRIFFEN, ODER SIE BESCHAEDIGEN IN DEHEINE WISE. Idem ille annus, quo dicta ratione WENCESLAVS *aratorum sanctitati* consuluit, et aliorum mediorum ferax fuit, quibus *vomeres* ab aliorum insultibus manerent intacti. Nam curate hisce respondere, dicit B. DATTIVS, c) quae *Paci Electorali Rhenanae* capropter inserta leges. Piget caetera, quae in *Pace Publica* et *Norimbergensi* de A. c10CCCCXXXI., et illa a VI. Electoribus A. C. c10CCCCXXXVIII. confecta adinueniuntur, argumenta tangere. Adscribamus haec vero ex Reformatione Francofurtana de A. C. c10CCCCXLII. d) *Item soll der Ackermann und Weingartmann mit seiner HACK, die man zu äckern, Wisen und Wingärten zu bawen bedarff, es sez in oder ohn Feindschafft auch auff den Weingärten, Aecker und Wisen, und wiederumb zu Haufs, und wan man die Frücht schneiden, Wisen mehen auch den Wein lesen, und das einführen sol, SICHER UND FRIEDLICH seyn.*

## §. IX.

ELVCET SANCTITAS ARATORVM E LEGIBVS MILITARI-  
BVS GERMANICIS.

VIDIMVS, qua ratione Themis theodisca *aratra* ea temporis parte, quam olea ornat, ab maleuolorum insultibus secura esse voluerit. Iam agite, qua ratione, et, inter medios irati Martis strepitus, *eorum securitati* prospiciant

c) l. antea c.

d) vid. DATTIVS l. c. f. 126.



ciant leges, consideremus. Tametsi quidem saepius contingere soleat, vt in bello, etiam iusto, multa admittantur, quae a summo crimine parum absunt: id tamen alienum esse ab optimis naturae ipsiusque interioris philosophiae praeceptis, quiuis fatebitur, ac contendet, esse quaedam officia etiam aduersus eos seruanda, a quibus iniuriam acceperis. *Est enim, ex CICERONIS e) sententia, vlciscendi ac puniendi modus; et crudeles cum SENECA f) illos merito dixeris, qui, quum belli causam habeant, modum non habent.* Hanc, ni fallor, ob rationem Legumlatores, quos tulit Germania, prudentissimi modum, tum circa hominum caedem, tum circa vastationem rerum, seruandum esse dixerunt, atque et milites ab *aratrorum* euersione aut destructione, sub poenae iusto grauioris comminatione arcerunt, non habito quodam discrimine, an in hostico? an in alio loco adinueniebantur? Audias quae *so MAXIMILIANVM* ita sapienter iubentem. g) *Item, es soll auch keiner keinen PFLUG berauben, noch Mühlen, Backöfen und was zu gemeiner Nothdurft dienstlich ist es sey Freunden oder Feinden zuständig ohne Erlaubniss BESCHIEDIGEN und ZERBRECHEN - - - bey Leibes Strafe.* Non equitibus vero tantum *aratrorum* violationem interdixit Imperator gloriosissimus, sed et, vt ne exercitus pedestris *vomeres* violaret, his verbis h) iussit: *Item es soll auch*

e) de Offic. L. I.

f) de clement. L. II. C. IV.

g) in der Reuter Bestallung

de A. MDLXX. Art. LXIX. in

LYNIGH Corp. Iur. Milit. f. 64.

ac in Corpore iuris militar. Francof. A. MDCLXVI. edito p. 26.

h) Art CXCV. apud LYNI-  
GIVM l. c. f. 73.



auch keiner keinen PELUG berauben noch - - ohne Erlaubniß beschädigen und zerbrechen - - bey Leibes Strafe. Huic Caesareo iussui curate, vt opinor, respondet, FERDINANDI III. mandatum ita sonans: i) Item, es sol auch keiner keinen PFLUG berauben noch - - ohne erlaubnis beschädigen und zerbrechen - - bey Leibesstraffe. Ita et, quas imperii exercitus obseruare deberet, legibus militaribus A. MDCLXXII. conditis sancitum legitur. k) Es soll keiner - - PFLUG - - zerbrechen oder verderben - - bey Leibes und Lebensstraffe. Vt accurate dispositionem de aratrorum sanctitate intelligas, potissimas legum militarium lineas excerpam. l) Sic enim nec dissimilia in legibus militaribus, quae Imperatorem et Status Imperii auctorem agnoscunt, deprehendes. Es soll keiner - - PFLUG - - zerbrechen oder verderben, es wäre dann aus erheblichen Ursachen, von der Generalität also beföhlen worden, bey Leib und Lebens-Strafe. Quid? quod scimus etiam partem consultationum, quibus Imperii Proceres in comitiis circularibus ab eo habitis vacabant, absoluisse materiem de disciplina, quam milites obseruare deberent. Quid igitur mirum, si, et eos legibus militaribus conditis ab illis aratro-

i) vid. EIVSD. IMP. *Articulis Briefe* editos 1642. *Art. LIX.* in cit. ANONYMI *Corp. iur. milit.* p. 58. Respondet etiam *Art. LVIII.* earundem legum militarium a LEOPOLDO

Imp. A. 1665. correctarum apud LVNIGIVM l. c. f. 85.

k) *Art. LXVI.* in LVNIGII *Corp. iur. milit.* f. 121.

l) §. 68. apud LVNIGIVM l. c. f. 153.



*aratorum sanctitati* prospexisse, contendam. Euoluas, si lubeat, quod Circuli Rhenani superioris Ordines ea propter anno superioris seculi nonagesimo octauo fanciuerunt: m) *Es soll keiner die - - PFLÜGE zerbrechen noch verderben - - es wäre dann, aus erheblichen Ursachen, von der Generalität also befohlen, bey Leibes- und Lebens-Straffe.* Harum legum tenori mire consonum est, quod Saxoniae Superioris circulus A. MDCLXIII. ita praecepit: n) *Mühlen, PFLÜGE - - soll ohne Erlaubnis und Befehl keiner beschädigen und verderben - - bey Leibes- und Lebens-Straffe.* Ordines Circuli Saxoniae inferioris ratione *Sanctitatis aratorum* quid disposuerint, recitasse iuuabit. *Item es soll auch keiner keinen PFLUG berauben - - verderben und zu Schaden bringen bey Leibes-Straffe.* Hae ipsae, quas e militaribus legibus descripsimus, lineae roborant sententiam, quam de aratris tuemur.

## §. X.

## EIVSDEM ARGVMENTI CONTINVATIO.

NOSTRA oratio iamiam se vertat ad alias leges militibus datas, quarum potissima capita recitasse, e re erit: quippe ea illustant materiem, quod Proceres Imperii numquam non *Aratorum Sanctitati* consuluerint. Audias

m) §. 60. apud LVNIGIVM l. c. f. 619.

n) §. XXVII. ap. LVNIGIVM l. c. f. 645.



dias igitur, si lubet, quae ea propter articulis militaribus Moguntinis ita expressa o) leguntur: *vor das vierdte soll keiner - - keinen PFLUG - - ohne sonderbaren Befehl des Obristen verderben, dann sonst der Thäter unnachlässig am Leib und sonst nach Gelegenheit des Verbrechens, am Leben soll gestrafet werden.* Eandem ferme formulam adinuenies et in legibus Colonienfibus militaribus, queis diserte p) cautum: *es soll auch keiner keinen PFLUG berauben - - verderben, und zu schand bringen bey Leibes - Straffe.* Nec FRIDERICVM AVGVSTVM Sax. Electorem, quum eius in manu sita esset vniuersae fa- lus Saxoniae, intermisisse scimus, suas prouincias optimis adornandi legibus, institutisque. Mirum hinc tibi non videbitur, si legas, *aratrorum* violationem copiis, quas ale- bat, sapienter eum interdixisse his verbis: q) *PFLÜGE - - soll keiner weder in Freundes noch Feindes Land, muthwillig und ohne Befehl, verderben, verbrennen, und sonst ver- wüsten - - denn wer hierinnen verbricht, soll nach Erkenntnis des Rechts, am Leben gestraft werden.* Ara- trorum securitati ratione vix meliori posse consuli, intelli- gebat FRIDERICVS WILHELMVS, Elector Branden- burgicus, quam si leges militares non silerent, poenam iusto

o) §. 4. des Chur-Mayntzi-  
schen Articul-Brief in LVNI-  
GII Corp. Iur. Milit. f. 751.

Brief Churfürst IOSEPHI CLE-  
MENTIS zu Colln ib. fol. 766.

q) §. XIX. des Churfächsi-  
schen Articul-Brief de A.  
MDCC. apud EVNDEM f. 817.

p) §. LXXX. des Articul-



iusto grauiorem sumendam esse ab eo, qui destruxisset aratra. Is igitur Elector, cuius diuiniorem mentem et perspicientiam acutissimam in omnibus laudant historiarum scriptores, hac sanctionis formula utebatur: r) *Keiner soll - - in gleichen Schmiede, PFLÜGE, oder andere B A V E R G E R E I T S C H A F T verderben: wer darwieder handelt, der soll, als ein Mordbrenner am Leben gestrafet werden.* Hisce vero, quarum potissima capita adduxi, legibus militaribus respondent et illae, quae in Electoratu Palatino vigent. Dicunt enim: s) *Es soll keiner - - PFLUG verderben - - es wäre dann aus erheblichen Ursachen von der Generalität also befohlen worden.* Si quae vero; certe leges militares Bauaricae aratra a violatione militum secunda reddunt. Discimus id primum ex sanctione, quam gloriosissimus Bauariae Elector, FERDINANDVS MARIA dedit: t) *Item es soll keiner ohne ausdrücklichen Befehl des commandirenden Officiers keinen PFLUG berauben - - bey Leibes Straffe.* Idem Elector deinde legibus, quibus pedestris exercitus fidem sibi obstrinxerat, et haec inseruit: u) *des gleichen keine PFLÜGE - - in Freundes oder Feindes Lande*

E 2

Land

r) Tit. XIII. §. 59. der Muster Ordnung zu Brandenburg de A. 1672. vid. LVNIGIVS l. c. f. 868.

t) §. 44. apud EVNDEM l. c. f. 786.

s) Art. LIV. der Pfaltzischen Kriegs- Articul f. 1036.

u) §. 5. der Bayerischen Articul- Brief de A. 1672. ap. LVNIGIVM l. c. f. 788.



*Lande-ohne sonderbaren Befehl des Hauptmanns verderben, dann sonsten der Thäter am Leibe, oder nach Gelegenheit des Verbrechens am Leben soll gestrafft werden. Eadem iisdem ferme verbis repetita deprehendes in legibus, ad quarum obseruationem equites sacramento obstringendos esse edixerat Elector Bauariae, MAXIMILIANVS EMANVEL, nisi quod voces des Hauptmanns omiffae, ac earum vice additae sunt vocula des Rittmeisters. x) Nec minus idem Elector gloriosissimus et in alijs, quas condidit, legibus militaribus, vomeres violandos non esse, statuit his verbis y) es soll keiner die PFLÜGE berauben - - bey Leibes-ia nach Schwere der Umstände bey Lebens-Straffe. Haec vero excipiat iamiam celebris ista aratris sanctitatem concilians sanctio, quam conspicies in legibus militaribus, quas condidit Augustissimus GEORGIVS I. Angliae Rex et Brunsvicensium ac Luneburgensium Elector. Ita sonat: z) Es soll keiner - - PFLÜGE zerbrechen - - bey Leibes- und Lebens-Straffe.*

## §. XI.

x) §. 5. des *Articuls-Briefs*, *Articuls-Brief de A. 1717. apud*  
*darauf die Bayerische Reuter* *EVND. l. c. f. 800.*

*schwören sollen apud LVNIGIVM l. c. f. 792.*

z) §. 63. apud *LVNIGIVM*  
*l. c. f. 1064.*

y) §. 39. des *Bayerischen Ar-*



## §. XI.

## VLTERIOR EIVSDEM ARGVMENTI CONTINVATIO.

NONDVM progressi sumus ad limen. Iter hinc, quod ingressi sumus, agedum prosequamur. Atque quum et aliae leges militares hanc materiam admodum illustrent; summas ex iis excerpamus lineas. Ita enim, quae milites Gothanos atroces esse non sinunt, leges a Celsissimo Duce, FRIDERICO, conditae vomerum a nullo violandorum mentionem iniiciunt his verbis: a) *Keiner soll sich in fremden Ländern es sey bey Freunden oder Feinden ohne Erlaubniß unterstehen, - - PFLÜGE oder ander BAVER-GERAETHSCHAFT zu verderben, alles nach Befinden bey Leib- und Lebens-Straffe.* Vt etiam intelligas, qua ratione aratorum sanctitati consulant leges Vinarienses; accipe formulam, qua utebatur Dux IOHANNES ERNESTVS. Ita sonat: b) *Ihr sollet auch keine PFLÜGE berauben - - bey Leibes Straffe.* Et quid de nostris terris dicamus? Certe ea iis est prae aliis regnis prouinciisque haec singularis admirabilisque felicitas, quod clauum Imperii non nisi illi Duces teneant, quibus DEVS eam mentis benignitatem, id ingenium amabile dedit, vt imperium suum non alia magis, quam salu-

E 3

tis

a) Tit. XII. Art. I. apud LVNIGIVM l. c. f. 1107.

b) Art. XXII. der Weymari-

*sehen Reuter Bestallung und Articul-Brief de A. 1683. apud LVNIGIVM l. c. f. 119.*



tis subditorum tuendae, gloria illustratum voluerint, et securitatem ciuium facultatibus praestare, eosque adeo perpetua rerum inconcussarum dulcedine perfrui cupuerint. Si specimen habere gestias; exemplo sit, quod *aratra* laedere ne militibus quidem liceat. Ita enim *vomerum* violationem militibus grauiter interdixit gloriosissimae memoriae Princeps, diuus AVGVSTVS. Tenor sanctionis, quam ea propter dedit, hic est: c) *Es soll, wie auch sonst allezeit, also auch in Marchiren keiner einen PFLUG berauben - - bey Leibes - Straffe.* Silentio omittere etiam non possumus, consonam ferme esse constitutionem, quam par SERENISSIMORVM FRATRVM, qui *Remigio Altissimi Vni* in nummis suis appellitari consueuerunt, puta CELSISSIMI DVCES RVDOLPHVS AVGVSTVS et ANTONIVS VLRICVS, Musagetae Maximi, legibus militaribus de *aratorum sanctitate* inferuerunt. Audias ipsos ita iubentes. d) *In wäbrenden Marsche oder andern Vorfällen soll keiner einen PFLUG berauben, - - ohne specialen Befehl ruiniren und verderben.* Ipsae vero, quae in dulcissimae Patriae vicinia vigent, leges militares abs me exigere videntur, vt eas intactas non relinquam, sed adducam potius ex iis testimonium, quo roborem meam senten-

c) §. 83. der *Articuls-Briefe*  
de A. 1655. in LVNIGII Corp.  
*Iur. Milit.* f. 1149.

d) §. 13. der *Wolffenbüttl.*  
*Feld-Artillerie - Articuls-Brief*  
de A. 1683. *ibid.* f. 1154.



sententiam. Sic discas sapienter legibus Mecklenburgicis cautum esse: e) *Derienige aber, welcher - - Wagen und PFLÜGE zerbricht und verdirbet, soll am Leib und Leben zu straffen seyn.* At si quae esset adhuc alia, quae multum te exercet, difficultas, vt *vomeribus sanctitatem* tribuendam non esse crederes: et pauca alia aliis ex legibus militaribus capita excerpam, vt eo rectius de veritate sententiae, quam tuemur, iudicare possis. Videlicet et hanc de *aratorum* inuiolabilitate sanctionem additam conspicies legibus militaribus Wurtembergicis. f) *Es soll auch keiner die PFLÜGE berauben - - bey hoher Straffe.* Eadem sanctio poenalis et legibus, quae dictas antiquas leges in Ducatu Wurtembergico excipiebant, ita est inserta, vt in verbis *ἔδὲ γὰρ* ratione *aratorum* sit immutatum. g) Agmen testimoniorum ducant tandem leges militares reipublicae Vlmanae. Et in iis enim est cautum: h) *Es soll keiner - - PFLÜGE ohne habenden Befehl zerbrechen und verderben.*

## §. XII.

e) Art. LVI. ap. LVNIGIVM  
l. c. f. 116r.

f) Art. XXXVIII. der Art-  
iculs-Brief de A. 1652. apud  
LVNIGIVM f. 1173.

g) §. 41. des Würtembergi-  
schen Articuls-Briefs de Ann.  
1705. apud EVNDEM l. c. f. 1177.

h) §. LV. des Articuls-Brief  
der Stadt Vlm de A. 1704. apud  
LVNIGIVM l. c. f. 1264.



## §. XII.

ARATRORVM SANCTITAS, VBI VIOLATVR SIVE IMME-  
DIATE, SIVE MEDIATE, AVGET DELICTVM, QVOD IN  
RAPINA, FVRTO, HOMICIDIO VIDEMVS.

ATQVE sic satis ex auitis legibus congefisse videmus rationes non contemnendas, cur, quibus fulcos non leuiter imprimere solet industrius agricola, *vomer*es a maleficatorum insultibus intactos esse relinquendos existimemus. Ipsam certe necessitatem, vt dictis legibus *aratri sanctitatem* conciliarent, legumlatores mouisse, quis qualeso dubitaret? maxime quum *aratra* ex earum rerum numero sint, quibus sine incommodo carere non potuisset humanum genus, si etiam in primaeva illa integritate perstitisset, talesque mansissent homines, quales aureo saeculo fuisse aiunt poetae: i)

*Qui vindice nullo*

*Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.*

At vnumquodque saeculum quum aequae produxerit, ac aluerit rerum turbandarum artifices, scelerumque fautores; qui res rei publicae etiam vtilis, sanctasque intemeratas non reliquerint: nec *vomerum sanctitatem* incorruptam mansisse putes velim. Nam tametsi hosce homines proteruos ab institutis ipsorum tam perniciosus detertere posset et vel ipsa benigna natura, tellus puta, quae nempe

i) OVIDIVS *Metamorph. Lib. I. v. 90.*



numquam fraudat colentium industriam, cuiusque foecunditas non senescit: attamen in eo, quod violata sit, et ad hunc vsque diem violetur tam *immediate*, quam *mediate aratorum sanctitas*, vix erit facile, qui dissentiet. *Sanctitatem* namque *aratorum* tum *immediate* laedi, annon dicendum est? quum quis non erubesceret, *vomerem* in felici agro fruticum et veprium impedimenta, herbasque innoxias ignorante derelictos frangere, corrumpere et tam inutiles reddere, vt in colendis agris numquam adhiberi queant. Quis negauerit, et ipsos etiam milites, licet ad arma vocati castra in hostico ponant, sese crimine *laesae sanctitatis vomerum* polluere, si dicta ratione destruxissent *aratra*? Quis non deduceretur et in hanc sententiam, eum, qui sic animo nocendi *aratra* corrumpit, teneri obstrictum, non modo damnum resarcire, sed et luere poenam, quae *violatae aratorum sanctitati* respondeat? k) *Aratorum* vero *sanctitas mediate*, nostra ex sententia, tunc laeditur, si aut equos, bouesque aratorios quis abducere audet, aut iniuriam infert agricolis, qui, postquam flauentes aristas, velut opimum munus, eorum falcibus ingerebat frugum parens, denuo iamiam sedulam agris colendis nauant operam. Quidni vero diceremus,

k) vid. P. HEIGII *Quaest. XXX.* et BERLICHII *Concl. Tur. Ciu. quam Saxon. Quaest. Practicab. Concl. XLIX.*



remus, delicta, quae in *aratri* siue immediate, siue mediate perpetrantur, esse iusto grauiora, dignosque hinc esse, talia qui commiserint, vt poenam atrociorē subeant? maxime quum et hodiernum valeat, *delicta augere locum*, l) adde, *delicta augere res sanctione poenali munitas*. Delictis vero, quae in aratri perpetrata esse scimus, vltiori filo recensendis vacare animus suaderet; nisi et vel sola illa, sicubi illorum species diuersae explicandae forent, facile lectores meos fatigare possent; qua de re quaedam eorum attigisse satis erit. Sic igitur, qui *aratum* lucrificandi animo per vim personae illatam aufert, non ex regulis de furto, sed de rapina puniendus esse videtur. *Est enim rapina*, ceu admonet vir, qui suis meritis iam Academiam Ludouicianam ornat, ILL. KOCHIVS, m) *delictum, quo aufertur res aliena lucrificandi animo per vim personae illatam*. Equis ergo non contenderet, *aratum* rapina interuersum gladium habere vltorem? maxime quum non leges modo quam plurimae *rapinam aratrorum* capitis poena expiandam esse iubeant, sed quum etiam in delictorum capitalium numerum hodie referamus rapinae crimen, nobisque adeo sobrior placeat philosophia, atque priscis istis Germaniae incolis, quibus

l) L. XVI. §. 4, D. de poen.

m) in *Inst. iur. crim.* L. II. Cap. VI. §. CCXXXIX.



bus rapinas in deliciis fuisse, indicat et vel rythmus ita sonans: n)

*Ruten roben das is gheine Schandt  
Das doyen die Besten in dem Landt.*

Eum vero, qui lucrificandi animo, domino non consentiente, *aratrum* alienum aufert, o) nulla vi personae illata, *furtum aratri* committere, fatebuntur et vel illi, qui alias in optimarum rerum ignorantia versantur. *Vomerum* vero furtum quum crimen censeatur furtis rerum alienarum grauius: recte docuerunt BERLICHIVS, p) CARPZOVIVS, q) KRESSIVS, r) furem *aratri* suspendi posse. At si vmquam: certe in diiudicanda huius furti specie omnes facti circumstantiae

F 2

tiae

n) Obuius est in LEIBNIZII *praef. ad T. III. Script. Brunſw.*

o) In alienatione rei alienae essentiam furti consistere contendo cum B. ENGAVIO in *diff. de furto magno §. I. ill.* KOCHIO *l. c. L. II. C. I. §. CLXXII.* Hanc ipsam vero sententiam, licet aliena sit opinioni B. HEINECCII in *Elem. Iur. Germ. T. II. L. II. §. 32.* atque ill.

AYRERI in *diff. de furti domest. poena in terris Brunsvicens. Sect. I. §. 10.* eo lubentius defendere arridet; quo magis est certum, eos parum iuuare leges, quarum auctoritatem inuocant.

p) *l. c. Concl. LIX. n. 6. 14. 16.*

q) in *Pract. noua rerum crim. P. II. Qu. LXXXVIII. n. 4. 7.*

r) in *cit. diff. Sect. II. in not. \*\* ad §. XIX.*



tiae expendi debent. Etenim varias species saepius adhibent patriae leges. Ita enim iure Saxonico diuersae, pro furti *aratrorum* diuersitate, poenae locum obtinent. Sic enim, ceu docet ILL. HEIMBURGIUS, s) si furtum *aratrorum* aut qualificatum, aut magnum est; laqueo delinquens punitur. Fustibus autem tunc caeditur facinorosus, quum furtum *aratrorum* dimidium aestimationis furti magni excedit. Eandem poenam *aratrorum* fures debent subire, si reiterata vice id admiserint delictum, etiamsi ablata *aratra* nec furti magni aestimationem attingant, nec eiusdem dimidium excedant. Is tandem quum, ex sententia ILL. BOEHMERI, t) *latro* audiat, qui committit caedem hominis, lucri commodique causa: certe non est dubitandum, quin et is latronis titulo insigniendus sit, qui agricolas *aratris* fulcos imprimentes ea propter occideret, ut lucrum ei exinde cederet. Hinc et istiusmodi homines, si ad actum proximum peruenerint, non gladio puniendos, sed vel rota contendendos, vel saltim, gladii poenam quum fuerint perpeffi, rotae imponendos esse censemus. Ad si ad actum modo remotum peruenerint, arbitrarie vel numellis, relegatione perpetua, vel confinemente, pro facinoris circumstantiis sunt coercendi.

§. XIII.

s) in cit. pr. §. XII. XIII. XIV.

t) in Elem. Iur. Crim. Sect. II. Cap. XVII. §. CCXXV.







atque caeteros socios. Quum contra, nostra ex sententia, qui directo, ceu in ICtorum scholis loqui mos est, animo ad crimen in *vomeribus* committendum concurrerunt, non tam acriter puniendos esse censeamus.

Hanc verò excipiat altera quaestio, quae iam excutienda esse videtur. Non incommode enim interrogas, annon certi casus darentur, quibus cessaret delictum in *aratris* violatis? Nulli adfirmare dubitamus, cessare nonnunquam qualitatem criminum ex *aratrorum sanctitate* desumtam. Aut enim fallimus, aut ea cessat, si quis citra dolum *vomerum sanctitatem* violauerit. Id quod ipsum vero contingere posset ab furioso, summe ebrio, alioque, qui nec doli capax est, nec in quem culpa cadere potest. Sic et nostra ex sententia cessat, vbi leges non singularem *aratris* tribuunt *sanctitatem*.

Sub finem tandem huius dissertatiunculae a nobis forsitan sciscitaris, an is, cuius *aratrum* facinore quodam est corruptum, et post praeterlapsos annos, quibus crimina alia praescribi solent, adhuc agere aduersus *vomerum* violatorem queat? Is sane me sibi non habet dissentientem, qui dixerit, laudandum esse, qui facinora parua in *aratris* sub dio derelictis commissa, quum possit, non vlciscitur, sed liberaliter condonat. Si  
tamen



tamen laesus agricola poenas ob violatam *aratorum sanctitatem* poscere velit: auctor ei sum, vt illico instituat actionem. Habet enim poenae petitio post iustam temporis intercapedinem instituta in se ridiculi quippiam. Nam inter omnes constare puto, poenas vt emendentur mortales, nec aliis in posterum noceant, inuentas esse. Nulli nocebimus homini, quia commisit delictum, sed ne amplius peccare audeat. Ita enim iam olim GELLIVS x) non incongrue philosophabatur: *quando aut spes magna adest, vt is qui peccauit, citra poenam ipse se vltro corrigat, aut spes contra nulla est emendari eum posse et corrigi, tunc quidquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendae poenae studium visum est.* Ergo si inter violatam *aratorum sanctitatem* tantum temporis intercesserit; vt fere delicti sui non meminerit facinorosus, aut se suosque mores sua sponte emendarit, nec iacturam *aratorum* metuere laesus amplius necesse habeat, inepta, opinor, vltio, iniusta poena erit. Vt breuiter, quae dixi, contraham; poenam ob violatam *aratorum sanctitatem* poscere permissum; ignoscere honestum; fero punire absurdum est.


x) Noct. attic. VI. 14.





















at, lege sic introductum tacita, quod an ore re-  
t, indifferens fortasse est, ita tamen aliquando  
ncipum, si legatus ore referre aliquid velit, sibi  
ptis ad cancellariam Moguntinam id pertine-  
ermanicè proferri juris est, q. m. de Romanis le-  
a linguâ utos fuisse in exteris etiam provinciis  
ar. Votorum collectio secundæ classis Vicema-  
mab antiquis temporibus ante Friderici I. fata  
historia memoratur, qui primo Ecclesiasticos  
ipes, aliosq; ordine quærit alternis vicibus: ubi  
lenis non interrogatus votum, Domini in con-  
ie, director illius collegii scribit vota *Arum*.  
In dem Churfürstl. Rahr / vngedrehtes von  
nens / sondern allein Mainz einen Reichsproto-  
hat doch ein jeder Churfürst einen Secretarium  
s vorgehet aufzeichner: Authenticum tamen  
oguntinum, ad quod etiam provocatur. Inde  
te faciunt Scdm: vnd wir Churfürsten / Für-  
ffen vnd Herren / auch des H. Reichs Greyn vnd  
de / Botschaffter vnd Gewalthaber hernach be-  
ffentlich mit diesem Abschied / daß alle vnd jede  
verfaßte articul mit vnserm guten Willen vnd  
vnd geschlossen sind re.

demum de omnibus propositionis Cæsareæ  
m est, & inter S. C. M. & status imperii conven-  
toris Moguntini tanquam per Germaniam Ar-  
eris est omnes hæc transactiones & conventa  
nterest) in formam Scdi redigere, quo S. C. M.  
causæ moverint, quod hanc indixerit diætam,  
ii inter sit, quod propositum quodque respon-  
cotroborant paciscuntur, subscribant & sigil-  
prius tamen adjunctis principum aliquot con-  
roictum Scdi ex verbis edicti Cæsarei, narrata  
peditionem uniuscujusque partis, tam relatio-  
is, quam subsequata Cæsarea resolutione, ad-  
dentes;